

/ Ill^{me} et Rev^{me} Domine frater. Accepi hoc anno et excepi maximo
gaudio literas solatii plenas, quas Ill^{ma} Dominatio vestra anno
1609 dederat; ex quibus non sine fructu in restituendo huic eccle-
siae antiquissimo titulo, aliisque negociis multam operam Amplitu-
5 dinem vestram Ill^{mam} navasse cognovimus. Pro quibus omnibus singu-
lisque ingentes habemus gratias, si quidem agere non possumus, di-
vinamque precamur largitatem ut coelestium munerum copia nostram
inopiam sublevet suppleatque. De tribulatione maxima quae facta
est in hac regione contra societatem et hanc nostram dioecesim per
10 episcopum Cochinensem anno praeterito scripsimus: hoc solum nunc
addimus, nimirum apostolicis literis et rescriptis regioque impe-
rio eiusdem episcopi impetum et furorem, non modo non fuisse cohi-
bitum, vel extinctum, sed nec minimum quidem retardatum, quominus
hoc anno ingenti animarum iactura maximoque scandalo, novas contra
15 nos excitaret procellas. Nam mense maii, media nocte, armata manu
Paliportensem nostrae dioecesis parochiam aggressus, eamque in-
gressus, vi parochum inde expulit, et seraphici ordinis religiosum
sacerdotem militum manu stipatum pro parochia subrogavit. Nec solum
ecclesiam nostrae dioecesis sibi usurpavit, sed etiam patrum socie-
20 tatis domunculam ibi exstructam ingressus, eam diripuit et expila-
vit hortulumque et palmetum, Crongonorensis collegii paecunia emp-
tum, nullo iure sibi vindicavit, quod ut alia meditantis cognovimus
proregem de more certiore fecimus per literas, qui, rei veritate
perspecta, regii senatus decreto, restitutivas, (ut dicunt) lite-
25 ras ad ducem Cochini et auditorem destinavit, quibus imperabat re-
gis nomine, ut me in ecclesiam meam restituerent et in priorem sta-
tum ius meum redire facerent. Sed frustra; nam episcopus, obfirma-
to persistens animo, nullo modo inde potuit removeri. Verum huius-
modi nobis illata vis, quamvis per sacros canones omne ius in eadem
30 ecclesia praetensum ab episcopo adimat: quid tamen futurum sit ig-
noro, ubi et sacri canones et apostolicae literae et privilegia

1 religionum et censurae ecclesiasticae et regis imperia nullo loco habentur, sed solum est pro ratione voluntas. Unde valde timeo ut breves apostolici ad eundem episcopum hoc anno pro societate missi eundem sint sortituri effectum quem priores. Faxit Deus ut melio-
5 rem saniolemque illi mentem ingerat.

Hoc ipso anno Summus Pontifex per literas apostolicas Goanum archiepiscopum nostrarum dioecesium limitatorem constituit; unde fortasse fiet ut statutis firmisque cuiusque limitibus, suo iure unusquisque contentus sese intra fines suos contineat. Quod si nec
10 hoc proderit, nullum nobis superest remedium, nisi divinum; quod opportuno tempore deesse non poterit. Nec solum à fratre has patimur angustias, sed alias quoque à filiis, praecipue ab archidiacono huius nostrae ecclesiae, qui Nestorianorum lacte nutritus saepe scissuras meditatus est: sed anno praeterito aspidum ovva quae fovebat
15 rupit peperitque ingens monstrum, nimirum apertum schisma contra Summum Pontificem, et pastorem suum; unde, quamvis nunc dissimulando, nunc tolerando, nunc admonendo, nunc opportunè et importune obsecrando et arguendo, saepius ad meliorem frugem eum redire studuerim, tamen, quia malum in dies magis serpens augebatur, optimorum
20 virorum consilio maturaque deliberatione adhibita, tanquam putridum membrum a sano corpore, anathematis falce praescidi tradidique Sata-nae in interitum carnis, si quo modo spiritus salvus fiat. Sed ipse infidelium regum favore munitus, et etiam catholicorum fratrum auxilio fretus, in profundum veniens, omnia humana divinaque contem-
25 nit maximamque S.romanae ecclesiae filiis patientiae materiam quotidie tribuit. Quoniam vero est valde in fide suspectus, ad sanctae inquisitionis tribunal eius causam cognoscendam et iudicandam remisimus, cuius iussu S^{ti} Augustini prior de more testes adhibuit; et causa quidem examinata est: nunc sententiae fructum expectamus.
30 Verum in hac persecutione horum christianorum fides constantique multum enituit; nam quidam coacti à principibus ethnicis ut cum

/ excommunicato archidiacono vel in humanis communicarent, potius rapinam bonorum cum gaudio sustinere quam illum vel de facie videre maluerunt; nec solum rerum iacturam, sed et vitae periculum et exilii sortem multi subiere: unde innumeras divinae bonitati gratias
 5 agimus, quae facit cum tentatione proventum et ex tantis malis tot tantaque bona emanare fecit.

Reliquum est ut Ill^{ma} D^{tio} V^a pro fratre filioque inter tot scapulos procellasque naviculam hanc gubernante divinam clementiam deprecetur, quatenus coelesti gratia directus navi mercibusque sal-
 10 vis et integris, portum semper optatum appellere possit beatitudinis sempiternae, ad quam Amplitudinem V^{am} Ill^{mam} meritis divitem sanctisque laboribus gloriosè perfuctam perducatur Dominus Noster Iesus Christus cui gloria et honor. Amen. Valeat Ill^{ma} D^{tio} V^{ra} et oremus pro invicem ut salvemur.

15 Datum Crongonori die xvij novembris MDCX.

Ill^{mae} et Rev^{mae} Dominationis V^{rae}

indignus servus

Franciscus archiepiscopus Crongonorensis.

 Ill^{mo} card. Bellarmino.

20 Ill^{mo} ac R^{mo} Domino, Domino Roberto Bellarmino S.R.E. cardinali
 amplissimo. Romae.

1^a Via

C.B. Ex India Orientali Crongonori Archiep. Crongon.

Arch.Vatic. Gesuiti 18 fol.77-78^v. Origin.